

quando animi sabornatio est, & sapē ad opus allicet, quod aliās minimē esset edendum.

QVÆSTIO II.

Quare Christus, cum omnia sciret, Discipulos hic interrogat?

14.

Ut veritas imprimatur, falsitas excludatur.

INTERROGAT Christus, cum omnia perfecta habeat, nihilque eum lateat; vt Apostolis præbeat occasionem proferendi suam veram confessionem, qua multum promereantur, eaque laudata, in ipsa confirmetur, detque etiam moriuum falsam turbam opinionē excludendi, vt inde nos in vera, ac recta cognitione instruatur: vt enim veritas animis imprimatur, necesse est, vt & falsitas excludatur. Secundò; D. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 11. Incarnatus Dominus noster Iesus Christus, ait, à multis ignorabatur: quod cum docere vellet, congregatis querebat ex illis: Quem dicunt esse filium hominis? Non inanis gloria studio, sed vt veritatem illos doceret, hac quaesit, vt qui cum Vnigenito Dei habitarent, tanquam simplicem aliquem hominem non contemnerent. Christus Dominus; cum inter homines degeret, homo tantum quidem videbatur: Ne ergo aliquis erret, eum veluti tantum purum hominem estimando, quaerit à suis Discipulis, quænam de eo ferebatur opinio, vt expressa Petri confessione: Tu es filius Dei viui: diuinitatem suæ personæ agnoscentes, ipsum debita obseruantia prosequantur; solus enim, qui te, tuamque personam, ac nobilitatem agnoscit, te recolat, & veneratur.

Solus, qui te agnoscit, te veneratur.

15.

Origenes Thom.

De aliorum circa nos opinione citandum.

Tertiò. Origenes tract. 1. in Matth. D. Thomas hic. In multis, ait, instrumur, vt sumus solliciti, quid de nobis dicatur, vt si malum, quod corrigamus; si bonum, conseruemus, & multiplicemur. Maximè attendat homo, quæ opinio de ipso circumfertur; nam si malum dicitur, & est verum, illud emendare affectet; si autem non est verum, auferat aliis occasionem talia cogitandi: si autem est bonum, quod de nobis prædicatur, in illo proficere studeamus. Vnde monet Eccl. cap. 4. num. 16. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri preuosi, & magni, Syriacus respice super nomen tuum. Rationem subdit: Quia bonum nomen diutius permanet, quàm mille thesauri; nam thesauri pereunt cum vita hominis; nomen autem bonum post vitam per multa sæcula permanet. Quartò. Euthymius. Interrogauit, ait, dispensatorio modo, vt Petrus diceret, quod sibi reuelatum erat. Thesaurus diuinæ sapientiæ nobis communicatus, non est abscondendus, sed in publicum proferendus, vt aliis proficiamus. Quintò D. Anselmus. Quia, ait, mortem suam Apostolis reuelare volebat, prius in fide sua eos vult confirmare, ne audita infirmitate suæ passionis titubent, Disponebat altitudo diuini consilij, vt Discipulis suam passionem iam manifestaret, vt subdit D. Mathæus hoc cap. 16. n. 21.

Eccl. 4.

Syriac.

Euthym. Talentum sapientiæ non abscondendū.

Anselm.

Matth. 16.

Antequam quis ad difficultia admittatur, corroborandus est.

Exinde cepit Iesus ostendere Discipulis suis, quia oportebat eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, &c. Prius ergo voluit, Discipulos solidare in confessione veræ fidei, in cognitione suæ diuinitatis; ne postea vifa passione vacillarent. Antequam quisquam ad difficultia admittatur, prius est magna instructione communiendus, ne rerum mole prematur, ac corrumpatur.

Sextò. Aderat iam tempus, vt Christus Dominus pastorem Eccl. suæ prouideret, cuiusque principatū ac pontificatum in concursu, ac veluti oppositione meritorum proponere decerneret; idē nunc quaerit, quid de ipso homines dicant. Et iterum, Vos autem, quem me esse, dicitis? Vt ille, qui ceteris præcelleret; illustrioremque se exhiberet in veræ fidei confessione, in veræque Deitatis Christi cognitione, ab ipso ad Ecclesiæ apicem promoueretur. Vt inde nos instrueremur, quod ad præbendas Ecclesiasticas non ex consanguinitatis, vel amicitia nexu, sed ex meritorum decore quilibet sit admittendus. D. Leo sermon. 2. in anniuersario Assumptionis. Huius diuini sacerdotij sacramentum, ait, non per generationum iramitem currit, nec quod caro, & sanguis creauit, eligitur; sed cessante priuilegio, & familiarum ordine præmissis, eos rectores Ecclesiæ accipit, quos Spiritus sanctus præparauit.

16. Eccl. ex meritis conferenda.

S. Leo.

17. Ioan. 19.

Maximè ponderanda est differentia, qua Dominus se habuit erga Petrum, & Ioannem, cum valde perexcelsa dona illis committit. Ioanni curam suæ sacratissimæ matris commendauit: Dixit Discipulo, Ecce mater tua, Ioan. 19. num. 27. Petro autem clauum suæ Ecclesiæ dedit. Munus Ioanni concessum videbitur multis excellentius; est enim ipsa sacratissima Virgo, quæ gratia, donis, ac meritis omnes sanctos, ac iustos collectiuè sumptos maximè præcellit. Et tamen dum tantum negotium Ioanni imponitur, nulla interrogatio, nullumque examen præmittitur, vt vidimus gestum cum Petro, tam in præsentia, dum Pontificatus promittitur, quaeritur: Vos autem, quem me esse, dicitis? &c. quàm post Resurrectionem, cum oues ei committuntur, ter per examen interrogatur: Petre anas me? Ioan. 21. num. 15. At quid tantum cum Petro tendit examen? Tradebat ei Ecclesiæ præsulatus; vt inde hauriamus documentum, quod ad Ecclesiasticam dignitatem nullus assumatur, nisi magno examine, magnoque meritorum concursu præhabito. D. Bernardus ferm. 76. in Cantic. de hac triplici interrogatione agens: Nisi testimonium perhibente conscientia, quod ames me, & valde, perfectè ames, nequaquam suscipias curam hanc, ne te intronittas, de omnibus meis, pro quibus sanguis meus effusus est, Electus non se intronittat, nisi testimonium perhibente conscientia sua de meritorum sufficientia; nec quis etiam alium eligit, Christi exemplo, nisi etiam conscientia testimonium dante, quod qui eligitur, sufficiens, & dignus est.

18. Ioan. 21. Ecclesiasticæ dignitates ex meritis distinguenda.

Bernard.

18. Ioan. 19. Baron.

Pendente Domino in cruce posuit Pilatus titulum super illam: Erat autem scriptum Hebraicè, Grecè, & Latinè, Ioan. 19. num. 20. Refert Baronius, quod in Tituli parte, quæ Romæ extat, inter linguas Ioannis esse ordinem; è parte nempe superiori linguam Hebraicam primum obtinere locum, secundum Grecam, tertium Latinam, ac proinde in Cruce propinquior extabat Christo Domino populus Latinus; remotior verò Hebraicus. Cur populus Hebraicus tam separatus, ac distans à Christo, cum, vt ipse ait, venerit ad oues, quæ perierunt domus Israel? Matth. 15. num. 24. In Cruce erat Dominus, vt ait D. Augustinus, ex sanguine suo formans Ecclesiam. Tempore ergo, quo Ecclesia à Christo constructitur, ac ædificatur, longè, longè est populus, qui Ecclesiastica munia carnis foedere confert. Populus autem Gentilicus, qui meritorum ordine illa distribuit, in proximo ex diuini Patris afflatu apponatur: talem

Matth. 15. August. Ab Ecclesiæ exitu consuetudo promotionis per sanguinem.

talem enim dispositionem, in sua Ecclesia præscribit, ac ordinat diuinus Magister.

QVÆSTIO III.

Quare Christus quaerit, quid dicant homines, seu turba; non vero Principes, & Pharisæi.

19. Abulens.

Theophyl. De simplici turba quaerit Dominus. Lucas.

20. Inimici semper male de nobis sentiunt.

Abulens.

Chryso.

Errores ex ignorantia dissimulantur, non vero ex presumptione.

21.

Matth. 16.

Matth. 17.

Luc. 9.

AVLENsis quæst. 39. existimat Christum Dominum quaerere, quid de ipso omnes homines sine vlla distinctione sentirent, voluissetque, omnes opiniones, quæ de ipso erant, audire; ideòque in responsione Discipuli varias opiniones retulerunt: Aly Ioannem Baptistam, aly Eliam. Sunt etiam, qui hic per homines intelligant regem Herodem, qui Christum Ioannem existimauit; de quo quæst. 8. infra in tertia resolutione. Theophylactus verò ait: Non interrogat, scilicet Dominus, quem me dicunt Pharisæi, sed homines, de simplici multitudine dicens, Et hoc maximè confirmatur ex textu D. Lucas, qui refert, Dominum dixisse, Quem me dicunt turba? Et hæc sententia mihi est vera, & eam secutus sum in expositione.

Respondeo primò. Non quaerit Dominus, quid de ipso sentiant, ac dicant Scribæ, & Pharisæi, quia, vt pote inimici, appetunt, ac euident erant, quod de eo nihil boni prædicabant. Inimici semper male sentiunt, ac loquuntur de nobis, & nihil boni ab eis sperandum. Instat Abulensis citatus: Quia si hæc ratio subsisteret, etiam turbam iudicium circa Christum non erat requirendum, quia de illo verum dicere nesciebant. Respondet ipsemet Abulensis ex D. Chryso. quod estis turba non perfectè, tamen saltem sine peruersitate de eo testimonium ferebant; at Pharisæi, qui erant pleni iniquitate, non poterant, nisi mala dicere, quia ex abundantia cordis os loquitur. Quarit Dominus, quid de eo sentiant turba, non verò Pharisæi, ac Scribæ: Pharisæi de Christo sinistrè opinabantur ex sua peruersitate, ac presumptione, qua eum contemnebant. At verò turba simplices, si verum de Christo iudicium non colimabant, ex quadam earum ignorantia, ac tenuitate pullulabat. Et si errores ex ignorantia sustinerent, ac dissimulari possunt; minimè verò ij qui ex presumptione, ac elatione nascuntur.

Dupliciter Petrus Christi morti intenuit obistere. Primò immediatè post hanc præclaram confessionem, dum ab ore Domini audiuit, quod oportebat, eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & occidi. Tunc assumens eum Petrus, ait illi: Absit à te, Domine, non erit tibi hoc, Quo audito, grauiter à Domino increpatur: Vade post me, satan, scandalum es mihi, Matth. 16. num. 23. Secundò Christum à sua morte auertere conatur, dum in gloria Taboris ait; Domine, bonum est, nos hic esse Matth. 17. num. 3. Et tamen tunc ab ore Domini nullam audit reprehensionem. Cur in primo casu tam rigida obiurgatio; non verò in hoc secundo? In Tabor dicebat illa Petrus ex ignorantia, vt de eo scribit D. Lucas 9. num. 33. Nesciens quid diceret, At in præsentia euentu sic Petrus loquebatur ex quadam libertatis confidentia, cum à Christo beatum se appellari audisset: Beatus es simon Bar-jona, regimèque Ecclesiæ Sylueira in Euang. Tom. 1. V.

illi ab eo esset commissum. Euthymius in cap. 16. Matth. ad illa verba: Assumens eum Petrus: sic ait: Ideo quasi iam assumpta libertate, eo quod beatificatus esset, seorsim increpauit illum, sine reprehendit, Et si, quæ ex ignorantia sunt, dissimulentur, non verò quæ ex nimia libertate, ac veluti quadam presumptione pullulabant. Venia conceditur peccato primi hominis; non verò Angelorum delicto: homo enim ex ignorantia, ac fragilitate prolapsus est; Angelus verò ex nimia elatione, ac presumptione ruit. De quo latè Suar. lib. 7. de Angelis. cap. 15. num. 9.

Euthym. Sustinetur ignorantia Petri, non verò nimia confidentia.

Suar.

22. Damian.

Secundò. Petrus Damianus lib. 7. Epistol. 12. Cum Apostoli varias opiniones de Domino exprimerent, ipse addit: Vos autem, quem me esse dicitis? Scilicet, vt Rex Angelorum, ait, formam daret rectoribus hominum quatenus non quid in os eorum assentatorie dicatur, attendant; sed quid eorum testimonium apud absentes habeatur, inquirant: sicque quod in se reprehensibile ex eorum fama deprehenderint, corrigant; ad exequenda verò bona, quæ de se dicere cognouerint, auditis inualescant, Non quaerit Christus, quid Scribæ, ac Pharisæi dicant, vt iam notari in limine quaestionis; sed quid de ipso homines, seu turba; vt ait Lucas, autement. Optimè sciebat Dominus, quid turba; de eo testificabatur; nam in eius præsentia clamauerunt: Prophetæ magni surrexerunt in nobis, Luc. 7. num. 16. Et iterum. Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum. Ioan. 6. num. 14. Et homines in nau: Verè filius Dei es. Matth. 14. num. 33. Ad quid ergo interrogat? Vt cunctis regibus, ac principibus daret formam, ne sint contenti, nec acquiescant iis, quæ in eorum facie, ac præsentia astruuntur; sed valde solliciti sint ad inquirendum, ac inuestigandum, quid in eorum absentia, ac post terga dicatur. Sicut enim valde facile est, vt Princeps, etiam tyrannus, in eius præsentia latidetur; sic valde difficillimum, vt in eius absentia dignus approbatione, ac laude inueniatur.

Luc. 7. Ioan 6. Matth. 14. Quærat princeps, quid in eius absentia dicatur.

Tertiò. Quarit Iesus, quid de ipso sentiant, non Princeps, ac Pharisæi; sed homines de populo, vt ait Chryso. ac simplices, vt notat Theophylactus, & D. Lucas scribit. Quem me dicunt turba? Interrogat, quid de ipso dicunt, ac sentiant simplices: hi enim valde apti ad diuina myteria addiscenda, ac penetranda; cum enim dolo, ac fallacia careant, maximè proportionantur diuinæ simplicitati, ac puritati, vt de illa multa hauriant, atque bibant.

23. Chryso. Theophyl. Simples valde apti ad diuina percipienda.

Desiderio caelestium flagrans Regius Vates ait: Quis dabit mihi pennas, sicut columba, & volabo? Psal. 54. num. 6. ad volandum pennas petit. Sed cur potius columba, quàm aquila, vel accipitris, vt dubitant Theodoretus, Brunonius, cum hæc multò altius, ac velocius, quàm columba volitent? Columba simplicitatis typum gerit, vt valde notum est, & in præsentia sic ait D. Hieronymus. In columba spiritualem vitam designat. Columba simplex animal est absque felle. Ad in altum volandum, non pennas aquila, magnoque nempe, ac superbotum, desiderat, ac petit; sed columba, humilium scilicet, ac simplicium cogitationes vehementer exoptat; his enim pennis altissima mystetia penetrantur, & assequuntur.

24. Psal. 54. Teodoret. Brunon.

Ait Sapiens Prouerb. 3. num 32. Cum simplicibus sermocinatio eius. Chaldaeus. Colloquium eius. Pagninus. Secretum eius, Cur sermocinatio, colloquium, ac secretum eius potius est cum simplicibus, quàm cum sapientibus, ac doctoribus?

25. Prouerb. 3. Chald. Pagnin.

Simplicibus
Dens reuelat
sua secreta.

Gregor. Simplicibus maximè Deus reuelat, & communi-
cat, tam per Scripturam, quam per internas in-
spiraciones, ac illustrationes secreta sua, atque my-
steria, cum eorum mentes sint valde aptæ ad di-
uina percipienda. D. Gregorius 3. part. Pastoral.
admonit. 12. Cum simplicibus, ait, Deus sermocina-
ri dicitur, quia de supernis mysteriis illorum mentes
radio suæ uisitationis illuminat, quos nulla umbra
duplicitatis obscurat. Beda ibidem. Sermocinatio
Domini, ait, cum simplicibus est, quia illos sapien-
tia cælestis secretis illustrat, quos terreni fastus, ac
duplicitatis nihil habere considerat. Hinc enim di-
cit: Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus,
& reuelasti ea paruulis. Matth. 11.

QUESTIO IV.

Quare, cum Christus interrogat de se, quid
homines dicant, se filium hominis,
& non aliter nominat?

26. *Ratio dubi-*
tandi.

CHRISTVS D. interrogat ab Apostolis, Quem
ipsum esse dicant homines, vt ab ipsis Apo-
stolis ipsum esse filium Dei profiteatur? Cur ergo
non dixit, quem me esse dicunt, vel, cuius filium
autumant. Ad quid ipse intendit, vt filius Dei fa-
teatur, cum se ipse esse filium hominis asseueret?
Domine, vnum dicis, & aliud vis audire? Dicis
te esse filium hominis; & tamen vt filius Dei vis
agnosci?

17. *Fidei confessio*
fit de omni-
buss mysterijs.

Respondet primò D. Hilarius: Hæc, ait, con-
fessionis tenenda est ratio, vt sicut Dei filium, ita &
filium hominis meminerimus quia alterum sine alte-
ro nihil spei tribuit ad salutem. Fidei confessio de-
bet esse de omnibus mysteriis, nam qui omnia
fateretur, si peccat in vno, vt ait Iacobus, factus est
omnium reus.

28. *Vera fides nõ*
regulatur
sensibus.

Secundò Idem Hilarius: Quem dicunt homines
filium hominis esse? & certe filium hominis contem-
platio corporis præferbat. Sed addendo, quem me
esse dicunt, significauit, præter id, quod in se vide-
batur, esse aliud sentiendum: erat enim hominis fi-
lius. Quod igitur de se opinandi iudicium considera-
bat? non illud arbitramur, quod de se ipse confessus
est; sed occultum erat, de quo querebatur, in quod se
credentium fides debebat extendere. Christus se dicit
filium hominis, vt videbatur in hominum oculo-
lis; & tamen ad hoc interrogatio dirigebatur, vt
eius diuinitas, quæ occultabatur, profiteretur. Hæc
est celsitudo, ac sublimitas fidei, quod cum oculo
corporeus videat filium hominis, auditusque
idem audiat dici; tamen interius diuina fide in-
tellectus illustratus agnoscat, & credat Dei filium,
nnoque externis sensibus, sed interna fide dicatur.

29. *Adulatio vi-*
tanda.

Tertio. Ait D. Hieronymus. Non dixit, quem
me dicunt esse homines: ne iactanter de se querere vi-
deretur. Non dixit, quem dicunt esse filium Dei,
vel tot, tantorumque miraculorum operatorem;
sed quem dicunt esse filium hominis. Occultat
magnitudinem suæ diuinitatis, humilitatem nos-
træ humanitatis manifestat, ne aliquam iactan-
tiam, vel etiam adulationem captare videretur:
valde enim frequenter adulatio in hominibus
pullulat, si ipsi in aliquo magnitudinem videant,
ab eoque in ipsis inesse dependentiam.

30. *Alb magnus*
Hugo.

Quartò. D. Basilus Seleucus Orat. 25. Non à
se ipso loquitur, ait, nec se ipsum manifesto proclamat.
Etenim dicere erat, si voluisset, Ego Deus de Deo;

Ego cælum una cum Patre fabricatus sum, terram
panxi, aërem diffudi, solares radios illuminavi, &c.
Quid agat tandem. Primum aliis res suas vt diuul-
gent sinit, alienis vocibus prædicatione credita. Non
dicit Christus Dominus de se, quod sit filius Dei,
quodque multa hominibus præstiterit, quanta-
que operatus sit; vt agnoscamus, quod non de-
cet, vt homo magnalia sua proprio ore decantet,
sed alienis vocibus hoc finat, & committat. Per-
git immediatè citatus Seleucus. Ideo namque vel
a principio miracula cum partu concurrebant: Stella
peregrino cursu manifestabat inopinatum infantem.
Non dicit, quot, & quanta miracula sit operatus,
ac operaturus; quot, & quanta opera præstiterit,
ac præstaturus esset; hæc enim de se euulgare, lon-
ge abest à Christi spiritu, cuius est non tam dice-
re, quam præclara virtutis monumenta edere.

31. *Christi est,*
potius agere
quam loqui.

Quintò. Se filium hominis dicit Christus, cum
suæ diuinæ filiationis testimonium ab Apostolis
vult haurire: nonne scit erat dicere, quem homi-
nes dicunt me esse; vel cuius filium me autumant?
Ad quid in ipsa interrogacione se filium hominis
astruit: dicunt esse filium hominis? O altum Dei con-
siliium! Pro magna Mariæ prerogatiua. Respon-
surus erat Petrus: Tu es Christus filius Dei viui:
ne ergo aliquis errando existimaret, quod in hac
Petri confessione Mariæ maternitas erat exclusa,
Christique integra substantia à solo Patre fuerat
dimanata; vt ergo hanc impiam insultationem
reprimat Dominus, in ipsa percontatione Mariæ
statutam præmittit dignitatem, se illius filium de-
nuntians: Quem dicunt homines esse filium hominis,
filium nempe Mariæ. D. Idelphonus serm. 2. de
Assumptione. Cum diceret, ait, beato Petro vna
cum cæteris Apostolis, Quem dicunt homines esse
filium hominis? At deinde refert, Vos autem
quem me esse dicitis? Ait ergo Petrus pro omnibus,
Tu es Christus filius Dei viui, non quod eum ne-
garet filium Beatissimæ Virginis Mariæ, quod ait
Christus, sed vt demonstraret vnum, eundemque
filium hominis esse filium Dei. Ac si dicat Petrus,
Quem ego dico filium Dei viui, est ille idem,
quem, tu Domine, dicis filium hominis, scilicet
Mariæ. Magna celsitudo Mariæ, vt eadem sit illius,
ac Dei viui proles; nec enim Mariæ Virginitati
alius filius conueniebat, nisi filius Dei.

32. *Abulen.*
Math. 9. 12.
24 & 25.
Ioan 3.

Sextò Abulensis quæst. 40. quod se dicit hic
filium hominis ex sua communi consuetudine,
qua se solet filium hominis vocare Matth. 9. n. 6.
& cap. 12. num. 8. & cap. 24. n. 30. & cap. 25. n. 31.
Ioan. 3. num. 3. Valde mirum; quod cum Christus
Dominus haberet agnomina multa, quibus suam
ab omni re independentem demonstraret celsitu-
dinem, recurrat toties ad filij hominis no-
men, quo ex hominibus assumpta significabatur
natura, seque illis quodammodo exhibebat astric-
tum. Cur, Domine, non dissimulas id mini-
mum, quod ex hominibus retines? Acceptum
dissimulat seruilis conditio, quæ nullis obligatur
muneribus; at præclatus accepta fateri non refu-
git, vt ad multo maiora præstanda inducatur ex
illis. D. Athanasius homil. de Incarnatione Verbi.
Ipsè, ait, in sublimi procreatus ex Deo, &c. ma-
trem dumtaxat habet in terris, & nos dumtaxat
patrem habemus in cælo, eaque de causa filium homi-
nis se ipsum appellat, vt homines Deum cælestem pa-
trem suam appellarent. Nota verba; Eaque de cau-
sa filium hominis se ipsum appellat. Non recusat
Dominus se filium hominis profiteri, ex homini-
busque acceptam habere humanitatem, vt inde
homi

Non ore pro-
prio, sed alie-
no laudetur
homo.

Christi est,
potius agere
quam loqui.

Idelphon.

Sic Christus
dicitur filium
Dei, vt &
dicatur Ma-
ria filius.

Abulen.
Math. 9. 12.
24 & 25.
Ioan 3.

Ingenius mi-
nimum, quod
accepit, com-
memorat, &
reperit.

Athanas.

33.

Ingenius do-
sua humili-
tate recorda-
tur, de nõ ore
obliuiscitur.

34.
4. Reg. 19.

Isai. 37.

Isaias de se
sine honore
loquitur, quò
alys dicentiu
committit.

Hieron.

45.
Gen. 32. & 35.
August.
Lycan.
Abulen.

Gen. 42.
Gen. 49.

Hieron.
August.
Philon.
Nazianz.
Hilar.
Euseb.
Prosop.
Procopius.
Theodorion.
Symmanc.
Aquila.
Iacob non de
splendore, sed
de abiectione
recordatur.

36.
Gen. 20.
Caiceta.

hominibus concedat, vt cælestem Deum dicant
patrem. Vide de hac re multa tom. 2. c. 3. quæst. 32.
Septimo. Non dicit Christus, quem dicunt
homines esse filium Dei, vel quem me dicunt esse;
sed, ait, quem dicunt esse filium hominis. Cur sic
sciscitatur, cum ipse intendat, vt filius Dei fateat-
ur? Eximius Christi splendor in eo extabat, quod
ipse esset filius Dei; summa autem humilitas,
quod filius hominis existeret. Quando ergo de se
quærit, interrogat, quem dicunt esse filium homi-
nis; vt his instruemur, quod ante oculos, ac
in ore summam nostram abiectionem circumscri-
amus; & quod supremum nostrum honorem
obliuioni demus, aliorum testimonio, ac verbis
illum remittentes.

Cum Rex Ezechias magno bello premeretur
ab Assyriis, Misit, ait Textus, senes de sacerdoti-
bus operos faccis ad Isaiam Prophetam, filium
Amos. 4. Reg. 19. num. 2. Eandemque historiam
scribens ipse Isaias 37. num. 2. iuxta lectionem D.
Hieronymi, ait, Misit seniores de sacerdotibus
operos faccis ad Isaiam, filium Amos Propheta.
Valde mirum. Dicitur, quod miserit ad Isaiam
Prophetam; at cum ipse iterum scribit historiam,
solum se Isaiam nominat. Et iterum ibidem n. 5.
Et venerunt serui Regis Ezechia ad Isaiam. Cum
ipse, utpote tam valde sanctitate conspicuus, re-
fert historiam, solum se cognoscit Isaiam veluti
hominem quandam vulgarem absque aliquo ti-
tulo, ac nomenclatura, ipsum enim speciosum
Propheta nomen aliis committit, & relinquit,
vt dicant, & scribant. D. Hieronymus Hic, ait,
quia ipse de se Isaias scribebat historiam, non se ap-
pellauit Prophetam, sed filium Prophetae. Ibi verò,
quia alter erat scriptor historia, ipsam scribit
Prophetam.

Bis à Deo dicitur Iacob: Non vocaberis ultra
Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Gen. 32. num. 28.
& Gen. 35. num. 10. Merito addubitant D. Au-
gustinus in quæstionibus super Genesim q. 114.
Lycanus, Abulensis, quomodo ipse postea Iacob
nuncupatur; ac quando ipse de se loquitur, pri-
mò & ante omnia se Iacob nominat. Dixit pater
Iacob Gen. 42. num. 36. Benedicemque filijs suis
ait: Congregamini, & audite filij Iacob. Gen. 49.
num. 2. Et iterum in benedictione Ioseph ait ibi-
dem num. 24. Dissoluta sunt vincula brachiorum,
& manuum illius per manus potentis Iacob. Quomo-
do ergo sic se appellat: Iacob humilitatem dicit,
nomen que pastoris importat: at Israel nomen
est valde gloriosum, iuxta D. Hieronymum, idest
Rectus Dei, iuxta verò D. Augustinum 16. de ci-
uitate Dei cap. 39. Philonem, Nazianzenum, Hi-
larium, Euseb. Prosperum, Procopium, ac alios. Vir
videns Deum; iuxta verò Theodotion, Symman-
chum, Aquilam, Princeps Dei sonat. Quauis
igitur Patriarchæ esset dictum: Non vocaberis ul-
tra Iacob, sed Israel erit nomen tuum, tamen ipse
quodam veluti impulsu humilitatis, quo semper
ad sui minimum, ac infimam conditionem erat
intentus, se Iacob tanquam quid abiectionum nun-
cupat, magnum Israel nomen omittens, ac ve-
luti alijs relinquens, vt dicant, atque diuulgent.

Dixit Abrahamus Saræ vxori suæ, Dic, quod
soror mea sis. Quia fama ductus Abimelech eam
in domum suam sustulit. Tunc illi apparens Deus
ait: Redde viro suo vxorem, quia Propheta est. Gen.
20. num. 7. Vbi notat Caietanus, quod Abraha-
mus sit primus, qui præclarissimo Prophetae ti-
tulo in Scriptura fuerit insignitus. Postea verò

cum Abrahamus loqueretur cum Rege, reddens
rationem, cur eam sororem suam dixerit, ait:
Cognoui mecum discens, forsitan non est timor Dei in
loco isto. ibidem. num. 11. Quæ verba dubitando,
& non affirmando protulit Patriarcha, ait Lip-
pomanius, Quæ præsumptio orta est in Abrahamo
ex eo, quod ipse optime non calleret futurum rei
euentum. Deus ipsum vocat Prophetam, qui apti-
mè rem futuram, & præsentem deprehendit:
ille autem suam tantum imperfectam circa futurum
rei euentum commemorat cognitionem: Abrahama-
mus, utpote iustus in consummata sanctitate, id
in se solum considerabat, quod imperfectum, ac
veluti quandam ignorantiam innuere videbatur:
suæ autem propheticæ cognitionis excellentiam
tacet, & dissimulat, diuinæque prouidentie ad
publicandum submittit. D. Paschasius in Psal. 41.
Iustus scientiam suam ignorat, ignorantiam agnos-
cit. Vide quandam ponderationem circa textum Mat-
thæi, & Marci infra.

Lycopom.

Iustus scientiam
vnam
ignorat, igno-
rantiam ag-
no scit.

Paschas.

Matth. 16. At illi dixerunt. Alij Ioan-
nem Baptistam; alij au-
tem Eliam; alij vero le-
remiam, aut vnum ex
prophetis.

VERSIONES.

Theophylact. Illi verò discabant.
Syriacus. Sunt, qui dicunt, Ioannem.
Arias. Illi dixerunt: Hi Ioannem,
alij Eliam.
Vatablus. Aut vnum ex numero Pro-
phetarum.

ALTER TEXTVS.

Marc. 8. n. 27. Qui responderunt illi di-
centes: Ioannem Bap-
tistam, alij Eliam, alij verò
quasi vnum de Prophetis.
Luc. 9. n. 19. At illi responderunt, & di-
xerunt: Ioannem Bap-
tistam, alij autem Eliam,
alij verò, quia vnus Pro-
pheta de prioribus sur-
rexit.

EXPOSITIO II.

PERIUNT Discipuli, vt fuerant
imperati, quid de Domino dicerent
homines. At illi dixerunt. D. Am-
brosius lib. de Incarnationis Domi-
nicæ sacramento cap. 4. existimat,
Petrum ad hanc primam interrogacionem siluisse;
& sic in persona Petri ait: Ideo, inquit, non re-
spondeo, quia non interrogor meam, sed alienam sen-
tentiam. Tamen valde verisimile est, Petrum cum
alijs respondisse, Alij Ioannem Baptistam, alij
Eliam, alij Ieremiam, de quo quæst sequentii. Turba-
rum varias opiniones referunt Discipuli: & in
his sententiis, etsi omnes isti veritatem non at-
tingerent, ac minus de Christo sentirent, tamen
præclaram de eo concipiebant opinionem, tanquam
cæteros homines superante. Aut vnum ex Propheta.
Albertus magnus, Hugo, & alij Eliseum, inter-

37.
Ambros.

Alb magnus
Hugo.